



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Virtutibus Moralibus, De Justitia Et Jure Et De
Contractibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDCCXXXIII.

VD18 90392159

Q. 10. An licet tutoribus auctarium exigere pro pecuniis pupillorum mutuatis, eo quòd per leges cogantur eorum bona integra reddere, & simul ex eis lucrum facere in commodum eorundem sub pœna ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-40993

Q. 10. An licet tutoribus auctarium exigere pro pecuniis pupillorum mutuatis, eò quòd per leges cogantur eorum bona integra reddere, & simul ex eis lucrum facere in commodum eorundem sub pœna compensationis?

Resp. Neg. Quia cùm usura sit intrinsecè mala, & à Deo absolutè, ac indistinctè prohibita, nullam ob causam potest esse licita. Ita Conc. Mediol. 1. Et Clerus Gallican. supra laudat. Constat etiam ex cap. 4. de usur. ubi Alex. III. ait: Cùm usurarum crimen ætriusque testamenti pagina detestetur, super hoc dispensationem aliquam posse fieri non videmus; quia cùm scriptura sacra prohibeat pro alterius vitâ mentiri; multò magis prohibendus est quis, ne etiam pro redimenda vitâ captivi, usurarum crimine involvatur. Porro tutores nihil periclitantur, si ex consilio consanguineorum pupilli, & iudicis auctoritate has pecunias impendant, aut fundi frugiferi emptione, aut in contractu censûs, vel societatis.

Q. 11. An est usurarium imponere ratione mutui aliquod onus, seu obligationem novam ultra sortis solutionem?

Resp. Affir. Est communis. Quia qualibet obligatio ultra sortem reddendam imposita ex pacto est onus pretio æstimabile, cùm privet liber-